Historia morum et rituum Sacerdotes.

Cromeri Martini: Sermo de tuenda dignitate sacerdotii, Petricoviae in Synodo habitus.

Crac. in off. Ungl. 1542

MARTINI
CROMERI SERMO
DE TVENDA DIGNITATE SACERDOTII, PETRICOVIÆ IN SYNODO HABITVS.



CRACOVIÆ, In Officina Vngle. M.D.XLII.

AMPLISSIMO PRINCIPI ET DO. PETRO GAMRATHO, DEI GRATIA ARCHIEPISCOpo Gneznen̄. Legato nato, Primati Poloniæ, & Episcopo Cracouien̄. patrono suo beneficentissimo, Martinus Cromerus S.P.D.

∴

SErmonem, quem te authore Antistes amplissime in synodo nuper abs te coacta habuimus, de tuenda dignitate sacerdotij, multis efflagitantibus, & ipso te authore in lucem ædimus, omnibus pene oratorum fucis & ornamentis nudum: cum q; maxime talem esse conuenit ueritatis orationem, tum q; tempori & auditorum ingenijs seruiendum fuit: & ut uerum fatear, nostra hæc aulica scribendi cōsuetudo me natura tenuem, magis etiam limauit. Ad hæc aūt ocio neq; tunc abundabamus, neq; etiamnum abundamus: quò sane opus est ei, qui ornate quid & copiose dicere uelit, aut scribere præsertim de rebus tantis tamq; uarijs: sed hoc accipiat, ut quisq; uolet. Mihi satis erit, si res necessarias uulgo sacerdotum, non ineptissime uidebor esse persecutus. In re si quid forte offendi, tuum id erit præstare Antistes optime qui mihi author ad id fuisti, meq; tuendum & ornā-

dum suscepisti. Eidem autem tibi curæ imprimis esse debet, ut omnes sacerdotes, quorum tu princeps es in his oris, & exemplo tuo moniti, & authoritate adacti dignitatem suam, secundum præscriptum hoc nostrum (si modo rectum id est, quemadmodum tu iudicas) tueantur: quem nos unum longe uberrimũ nostri huius laboris fructum expetimus. Vale.

MARTINI CROMERI SERMO

DE TUENDA DIGNITATE SACERDOTII, PETRICOVIÆ IN SYNODO HABITUS.

Clarissimus hic dies illuxit, Patres amplißimi, & bonis omnibus pijsq; exoptatus, quo ex diuersis & longinquis oris, principes religionis, & flos ex omni cœtu sacerdotum in hunc locum conuenistis, de sacri ordinis uestri dignitate tuenda, & incolumitate stabilienda, deq; pietate quæ iacet proh dolor afflicta & profligata, in animis hominum excitanda. Quibus de rebus cum sermonem apud uos inicio de more haberi uelitis, uereor magnopere ut iustam impudentiæ reprehensionem euitare queam, quod sacris nondum iniciatus, apud sacerdotes, iuuenis apud uiros grauißimos, imperitus apud eos, qui & doctrina, & usu rerum maximarum præstant, de rebus maximis uerba facere productus sum. Sed non potui recte authoritatem eius, qui huic sacro conuentui præest, principis mei beneficentissimi defugere. Ad hæc autem studium pietatis, quo ab ineunte puericia semper flagraui, me

ad eam prouinciam quamuis grauem, suscipiendam inuitum pene impulit. Tametsi in bello quoq; non imperatores, non legatos, non centuriones, non ueteranos milites, ac ne tyrones quidem, sed imbelles & ignauos tubicines classicum canere, ac tubarum, tybiarum, tympanorumq; sono instructas acies ad praelium excitare, aut uero inermes lixas & calones clamore id facere solere animaduertimus. Quo fit, ut mihi in re haud multo dißimili ueniā duntaxat à uobis Patres amplißimi datam iri confidam. Dicam autem q̄ potero paucißimis, primum de dignitate sacerdotij: sacerdotum autem nomine, uniuersum ordinem sacrum, summos pariter cū imis complectar: deinde quibus rebus eam dignitatem quemq; tueri oporteat. Quod dum perago, quaeso ut me dicētem Patres amplißimi benigne audiatis. Fuerūt igitur & apud priscos mortales, falsorū deorum cultores, summo in honore sacerdotes, deorum interpretes, sacrorum & ceremoniarum magistri: summaq; penes eos potestas erat, quippe qui ijdem reges essent. Vnde est illud poëticum.

Rex Anius, rex idem hominum Phoebiq; sacerdos

Nec licebat regem eße, ut est apud Platonem, qui sacerdos non esset. Hodieq; adeo apud eas gentes, quae Machometi impietatem sectantur, & si nō reges, certe arbitri regiorum iudiciorum atq; consiliorum eße dicuntur sacerdotes. Sed non de his institutus ē nobis sermo. Summa fuit & apud Haebreos ueri Dei

Dei cultores, sacerdotij dignitas. Sed nihil ad rhombum, ut est in ueteri prouerbio. Apud illos enim umbra fuit, & tenuis quaedam quasi carbone deliniata imago sacerdotij: apud nos uerum est sacerdotium, Cuius authorem atq; principem habemus CHRISTVM IESVM, Deum atq; hominem, qui sacerdos est in aeternum secundum ordinem Melchisedech, spiritu sancto à Deo patre unctus: qui inter innumerabilia atq; immensa amoris erga nos sui monimenta, nullum maius, nullum praestantius, nullum admirabilius nobis reliquit sacerdotio. Etsi enim semel ipse omnimo introiuit in sancta sanctorum, aeterna nobis redemptione inuenta, tamen quia quottidie omnes labimur, Deumq; offendimus, hos nobis, sacerdotes inquam, pro se praesentes medicos, opiferos, deprecatores, pacificatores, uitae moderatores, & quasi terrena quaedam numina semper adeße uoluit, tradita ipsis potestate ligandi atq; soluendi omnia in terris & in coelis: ut paratū semper in malis, quae plurima uitam nostram infestant, auxilium haberemus. Nempe ut ij, & Deum nobis placarent, & nos Deo adiungerent: illud orando, & sacris operando: hoc docendo, & mysterijs iniciando. Itaq; ergo insignibus titulis eos ornauit, & āplißimis luculentißimisq; muneribus locupletauit. Nam & pastores eos communi cim regibus nomine (pastores enim populorū, olim reges dicebantur) & sal terrae, & amicos fratresq; suos, & lucem mundi, sua omnia cum eis communicans, nuncupauit: & uero super familiam, atq;

ſuper omnia bona ſua conſtituit, claueſq; regni cœle
ſtis, & claritatem eam, quam ipſe à patre accepit, de
dit eis. Spiritus quinetiam ſanctus in diuinis ſcriptu
ris Apoſtolorum, Angelorum, miniſtrorũ uerbi Dei,
Chriſtorum, ac deorum deniq; nomine eos dignatus ẽ:
diſpenſatoreſq; myſteriorum Dei, conciliatores ac pa
cificatores Dei & hominum, & principes ſuper om=
nem terram conſtituit. Cogitate mihi quæſo Pa
tres, etiam atq; etiam, quanta ſit ueſtra iſta dignitas,
& ſuperbos Ducum, Imperatorum, Regum, Cæſarũ
ſemper auguſtorum, fœlicium, piorum, uictorum, tri
umphatorum, domitorum orbis, patrum patriæ, &
neſcio quos non titulos cum ueſtris comparate: om=
nes honores mundanos, omnia munera, & magiſtra
tus in unam lancem congerite: ex aduerſo aũt ſacer=
dotium ponite, iuſtaq; & exacta trutina expendite:
uidebitis proculdubio infinitis partibus ueſtræ fun=
ctionis præſtantiam præpõderare, leuiaq; ac ludicra
eſſe omnia, quæ ſummo ſtudio ab hominibus in hac
uita expetuntur, præ ſacerdotij dignitate. Etenim
ſacerdotium in terra quidem peragitur, ſed in rerum
cœleſtium claſſem ordinemq; referẽdum eſt, ut inquit
Chryſoſtomus. Et neſcio num Angelorum etiam &
omnium cœleſtium beatarumq; mentium excellentiam
ſacerdotij dignitas ſuperet. Quem enim puriſſimæ
illæ mentes tremebundæ adorãt Deum atq; hominem
CHRISTVM IESVM, hunc quiuis ſacer=
dos, quoties uult de cœlo deuocat, mortalibus mani=

bus familiariter attrectat, & in uiſcera ſua aliorumq;
tranſmittit. Spiritum quoq; ſanctum pari, immo ue
ro eadem cum patre filioq; poteſtate ac diuinitate, in
quem ijdem illi Angeli ardent proſpicere, ſola ma[illegible]us
impoſitione quibus uult largitur. O immenſam
Dei bonitatem, ô excellentem ſacerdotij præſtantiam
ô admirabilem ſacerdotũ poteſtatem: quem cœli &
terra comprehendere nequeunt: cui luna, ſol & ſtel
læ omnes ſeruiunt: cui omne genu flectitur, cœleſtiũ,
terrenorum pariter & inferorum: hunc homo uilis,
& euanidus puluiſculus, mẽdicus Regem, ſeruus Do
minum, opus opificem, pauculis uerbis adactum, quo
damodo arbitratu ſuo tractat, circumfert, diſtribuit
& ſalute uitaq; æterna quos uult impertitur: quan=
do eum dat ſine quo ſalutem uitamq; habere nemo po
teſt. Quid hoc amplius? quid præſtabilius? quid
diuinius humano generi à Deo opti: maxi: dari po=
tuit? Dij quidam profecto carne & oſſibus ueſtiti
uideri debent ſacerdotes. Et fuit ſanè apud maiores
noſtros ea perſuaſio, ut qua domo ſacerdos receptus
eſſet, quaſi deo ingreſſo, omnia in eam domum bona,
omneſq; fœlicitates accumulatum iri crederentur.
Itinera atq; negotia omnia proſpere euentura exiſti=
mabantur, quibus ſacerdos interueniſſet. In foro, in
compitis, in angiportis, in uijs uiſo ſacerdoti paſſim
apud Chriſtianos populos occurrebatur, acclamaba=
tur, ad genua etiam pedeſq; procumbebatur. Vnde
mos inoleuiſſe creditur, ferendæ crucis Epiſcopis, ut

ne sibi, sed CHRISTO cum honorem haberi putarent: atq; meminißent, cuius essent uicarij.

Summa quidem certe erat ubiq; reuerentia sacerdoti, non modo apud uulgus hominum, sed & apud Principes, & summos monarchas: non modo priuatim, sed & publicè: nec apud suos modo, sed & apud hostes. An enim non legimus Constantinum magnũ imperatorem, sacerdotum iudicia à se reiecisse, quod eos à solo Deo iudicari, aut inter se duntaxat controuersias suas disceptare oportere diceret. Longe aliter q̃ nunc fit nonnunq̃: ubi prophani homines sacerdotum proscribendorum, nedum iudicandorũ potestatem indignissime sibi arrogant, aut uerius à sacerdotibus ipsis (liceat enim uerum dicere) cupidis & ambiciosis concessam, ne dicam obtrusam, nõ recusant. Vbi cernere est præclarum scilicet spectaculum. Citatur à truculento apparitore reus sacerdos: comparet: adstat coram seuero & odio sacerdotum inflammato iudice, quasi agnus coram tõdente, & sicuti CHRISTVS meus coram Herode aut Pilato: Prodit in medium trux quispiam ac deformata cicatricibus facie accusator: accusat reum acriter & contumeliose appellat, proferuntur qualia qualia testimonia: stat interim reus demisso capite: si quid respondere ipse pro se (nã & hoc cauetur, ne quis eum defendat) si quid ergo respondere pro se incipiat, appositi sunt, qui eum strepitu & clamore excipiant atq; perturbent, in totum ordinẽ sacerdotũ

indigne

indigne debachãtes. Æstuat ille, & in omnes partes sese uersans, tantum non funesta illa uerba iudicis expectat: I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infœlici suspendito. Sed tamen mitiori fine iudicium terminatur, sola scilicet proscriptione. Et cũ his factis atq; legibus uideri uolumus Christiani. Sed aliò, quam institueramus, impetu quodam nostra profecta est oratio. Ad rem igitur redeo.

Maximum sane honorem pientissimus ille imperator Constantinus inquam, habuit sacerdotibus. Quid Theodosius, cũ propter admissum temerè facinus templi ingressu ab Ambrosio Mediolaneñ. Archiepiscopo prohiberetur, ac deinde impetrata uenia admissus ab Archidiacono eiusdem ecclesiæ, ab secretiore parte templi depelleretur: nõne mansuetissimo & æquissimo animo paruit? An non legimus furentium & castæ religioni infestorum regum ferocitatem à Basilio Cappadocum Episcopo emolitam? De quo præclarè & illud Gregorius Nazianzenus, unam sibi salutem populos duxisse sub ipso & cum ipso esse, unũ periculum, ipsi aduersari, & à Deo se alienos existimauisse, si ab illo dissentirent. Quid Leo Romanus pontifex? nonne Attilam Hunnonum regem barbarũ infestissimo animo ad opprimendam & euertendam Italiam cum exercitu contendentem, aspectu & oratione sola repressit & auertit? Fuit, fuit summa quondam sacerdotum dignitas: quæ nostro sæculo proh dolor in contrarium planè recidit. Quamob-

rem

rem? Quia recte illi dignitatem suam tuebantur: nos non modo non tuemur, sed fortassis ipsi etiam deprimimus. Quibus ergo rebus tueri eam nos oportet? Dicam Patres amplissimi, quæ fuit altera pars instituti sermonis nostri: Nec nimium uos remorabor: uos quod fecistis adhuc, æquis auribus atq; animis quæso attendite. Quid igitur est, quo hanc ipsam dignitatem tueri debemus? num stipatorum & satellitum præeuntium & subsequentium longa agmina, æquitumq; turmæ auro & argẽto aspicientium oculos perstringentes? num tubæ, tibiæ, atq; tympana? num laxæ, molles, & preciosæ uestes? num regales seu potius pontificales mensarum apparatus apud priscas gentes celebrati? num generis claritas, & nouæ istæ de non recipiendis plebæis ad primarias ecclesias constitutiones, uirtuti uiam præcludentes, & cum uerbo Dei, nisi fallor, pugnantes? num intolerabilis iste fastus, qui in templa Dei, ad aras, & ad ipsum quoq; sacrosanctum humilis & mitissimi CHRISTI IESV sacrificium nuper proh pudor irrepsit? num profusa largitio? num gratia principum? num spes beneficij? an uero pecuniarum & cupidè ac iniustè quæsiti, & sordidi misereq; conclusi cumuli? an uero terror, carcer, uincula, uerbera, rogus, ac omnis supplicij mœtus hominibus propositus? nihil horum sanè. Alioqui multo amplior esset nostri temporis sacerdotum dignitas, q̃ priscorũ illorum fuit. Longè enim hæc in nobis exuberant, quæ

quæ in illis exigua, aut uerius nulla extiterunt. Quæ cum partim inuidiosa, partim odiosa sint, nescio an magis etiam dignitatem eorum, qui his abundant, labefactent. Veram quidem certe ac stabilem beneuolentiam, quæ optima est conciliatrix & custos dignitatis, non parant. Sed fuit in priscis illis sacerdotibus morum sanctimonia, puritas uitæ, mirum pietatis studium, ardens in Deum amor, incredibilis charitas proximi, & recto iudicio librata in omnes beneficentia. Non indocti ac dissoluti iuuenes, atq; pueri, aut pueris non minus inepti senes à profanis negocijs, uilibusq; ac etiam turpibus interdum obsequijs principum ad sacerdotium aspirabant: non precibus, precio, ui atq; potentia irrumpebant: non malis artibus sese ingerebant: non propinquorum ac necessariorum ope, atq; peruerso studio intrudebantur: non deniq; magister quisquam prius fiebat, q̃ fuisset discipulus: nec ad regimen admouebatur, qui subesse prius ipse non didicisset: at uiri graues & maturi, qui doctrinam pariter atq; innocentiam suam omnibus ab ineunte ætate probauissent, à collegio sacerdotum, approbante populo rite & religiose in eum ordinem coaptabantur, atq; è latebris, & ex monasterijs ac cœnobijs, quæ tum scholæ erant pietatis & religionis, inuiti ad sacerdotium protrahebantur. Cernebant illi nimirum, quàm graue onus esset sacerdotium. Neq; ad ocium, aut ad commodum ullum suũ, fastumq; id ambiebant: sed obtrusum propter Deum uolen.

uolentem atq; iubentem, ut qui ipsum diligeret, pasceret oues ipsius, metuq; pœnæ talenti absconsi non obstinatè recusabant. Cuius rei præclara habemus exempla in Basilio & Chrysostomo: Itaq; & populus, quemadmodum par erat, de talibus existimabat: eos qui sic per ostium ad sacerdotium ingressi essent, non fures aut latrones, mercenariosue, sed pastores futuros, neq; suis cupiditatibus seruituros, sed ad gloriam Dei, & populi salutem, consilia & actiones omnes suas relaturos. Et respondebant sanè illis talibus inicijs, hominumq; expectationi consequentia.

Nam tota uita publice quidem in sacris peragendis, docendo & exhortando populo, moribus corrigendis, & propaganda quoquo uersus religione, priuatim uero in præcatione & meditatione rerum diuinarum, & assidua sacræ scripturæ lectione ipsis consumebatur, ita ut præcationi lectio, lectioni præcatio uicissim succederet. Neq; uero quisq̃ aditu prohibebatur, quicunq; uel consilij, uel auxilij quid rebus suis expetitum uenisset: somnus, cibus, potusq; modice, & non ad uoluptatem aut sacietatem, sed ad necessitatẽ tantum sumebatur: ludos, lusus, atq; ocium, omnino perinde atq; pestem fugiebant: à mulierum contubernio & consuetudine, ac familiari secretoq; colloquio etiam earum, in quas propter arctam propinquitatẽ nihil suspicionis caderet, procul se summouebant: tantum aberat, ut quidpiam rei earum arbitrio gererent. Aulas profanorum principum, tanquã corruptelam morum

morum, & infames syrenum scopulos Cyrceasue domos uittabant, ne quibus illecebris, quarum ibi regnũ est, irretiti, aut uenenis quibusdam ac præstigijs in beluas mutati hærerent, neue quid indecorum, quo dignitatem suam minuerent, facere, loquiue cogerentur: nec in conspectum principum ueniebant, nisi ut eos à prauis, iniustis atq; perniciosis consilijs & conatibus dehortarentur: ad rectos, iustos, & salutares, adhortarentur: aut afflictis uiduis & pupillis ut adessent, aut rei cuiuspiam supplicium ut depræcarentur.

Inde crescente paulatim pietate, omnibus de Repub. consilijs, iudicijsq; principum adhiberi cœpti primores sacerdotes, nõ tam ut consiliarij ac iudices, ut mea fert opinio, quàm ut horum arbitri: qui attenderent ne quid forte per imperitiam aut imprudentiã Christianæ professioni repugnans decerneretur. Neq; hoc illi modo curabant, ut ipsi domi forisq; innocẽter santeq; uiuerent: sed ita præerant familiæ suæ domesticæ, quæ non assentatoribus, non scurris, uon lenonibus, aut ullis uoluptatum architectis, non nepotibus & heluonibus, non scortatoribus, adulteris, & expugnatoribus pudiciciæ, non militibus, non barbaris seruis & stigmatijs, uerum pijs & religiosis hominibus & sacerdotio destinatis, atq; etiam sacerdotibus constabat: ita inquam ei familiæ præerant, ut nihil in ea esset reprehensibile, secundum præscriptum diui Pauli: propterea q in se redundaturum esse iudicabant, quicquid ea peccauisset. Neq; uero aut musicis symphonijs

phonijs, aut obscœnis & meretricijs cātilenis, aut im
pudicis sermonibus, aut mimorum & scurrarum di=
cacitate & petulantia, aut morionum ineptijs mensæ
ipsis cōdiebantur: sed à Deo, & præcatione, & gra=
tiarumactione communi & sonora inchoatæ partim
religioso silentio & sacræ lectionis auscultatiōe, par
tim sobrijs pijsq; & eruditis colloquijs ductæ & per
actæ, non absimili exordij fine claudebantur. Pau
cißimis contenti, omnia ægenis delargiebantur, hos so
los ueros certosq; thesauros suos rati: ita ut fuerit,
qui cum nihil haberet reliqui, ipse redimendorum ca=
ptiuorum caussa seruituti se mancipauerit. Hinc fi
ebat, ut non inhiarent sacerdotum facultatibus pro=
fani homines, ita ut nostra tēpestate faciunt: sed om=
nes omnia ipsis aggerebant, uenditisq; possessionibus
ad pedes sacerdotum pecuniam afferebant, ut ab ip=
sis inter pauperes pro cuiusq; necessitate distribuere=
tur. Successu deinde temporis, inualescente reli=
gione, cum cædium, proscriptionum, direptionum bo
norum, mœtus sublatus esset, possessiones etiam & a=
gri, regionesq; totæ sacerdotibus, utpote prudentibus
& fidelibus dispensatoribus, à pijs hominibus attri=
bui cœpere, ut esset perpetuò, non unde ipsi luxu &
uoluptatibus diffluerent, aut scorta & parasitos ale=
rent, aut uero propinquos suos ditarent: sed unde mi
nistri ecclesiæ alerentur: unde ad templorum instau=
rationes & ad usus ægentium suppeditaretur: unde
captiui deniq; redimerentur. Puerorum etiam atq;

iuuētutis educādæ & instituēdæ curā inprimis habe=
bāt, summaq; diligētia & magno impendio prouide
bāt, ut in scolis ubiq; & in ludis literarijs publice do
cti, probi ac diligentes magistri & formatores iu=
uētutis essent, qui literis pariter & bonis moribus, re
ctisq; de fide & religione opinionibus teneram illam
ætatem, tanq̄ rudem lanam, tingerent. Non parum
enim, sed plurimum sane interesse iudicabant, quibus
præceptis rudis illa ætas, & ad omnia flexilis imbue=
retur: propterea quod per omnem uitam ea tenacis=
sime inhærent hominibus, & in naturam quodamo=
do abeunt, quibus à pueris assueuerunt. Itaq; recte
illi dignam se eam curam esse existimabant. Deniq;
omnia quasi dij quidam salutares ad salutem hominū
referebant, laudis humanæ negligentes, & commo=
dorum suorum prorsus obliti. Ex quo contemptus
pecuniæ, uoluptatum, honorum, laudisq; singularis
quædam fiducia & libertas orationis in ipsis existe=
bat. Peccantes principes & monarchas, nedum pri=
uatos, libere & aperte arguebant, obiurgabant, in=
crepabant, dira deniq; execratione percellebāt, opor
tune & importune, tempestiue & intempestiue.
Nec offendere eorum uoluptates dubitabant, quibus
nullo beneficio obstricti essent, à quibus nihil spera=
rent, nihil metuerent. Quid aūt formidaret is, qui
omnia uilia atq; nihili præ CHRISTO duceret?
mortemq; in lucro deputaret? Hinc non admiratio=
ni modo, uerumetiam terrori erant tyrannis & car=

nificibus suis: quos pudebat, illorum constantia & tolerantia crudelitatem suam uinci. At ne tũ quidem deerant sacerdotes, qui hoc indigni essent nomine & honore, quiq; dedecori essent toti ordini. Fateor. Sed minus multi atq; nunc: Neq; ij probra sua gloriabundi iactabant. Neq; palam prostituto pudore delinquebant, & non tam pertinaciter & maliciose in præcogitata ac diu deliberata facinora sese præcipitabant, quàm per imprudentiam & humana fragilitate labebantur, Deo permittente, ut condolere nossent ijs, qui inscientia & errore peccabant, cũ & ipsi infirmitate essent circumdati. Et tamen non deerat medicina. Agebantur crebri & frequentes conuentus, siue synodi: ubi perquisita diligenter uicia sacerdotum, iusta animaduersione coërcebantur: mores in deterius labentes corrigebantur: errores in fide, & hæreses nascentes etiamdum confutabantur, & radicitus extirpabantur: ritus atq; cerimoniæ sacrorum instituebantur: inter litigantes ac dissidentes pax & concordia componebatur. Quid igitur mirum, si nunc tam contemptum, ac propemodum abominabile uulgò est sacerdotium? quando omnia hæc quæ priscos illos uenerandos & admirabiles faciebãt in nobis desiderantur? Nemo officium suum facit, ac ne norunt quidem pleriq;. Omnes, cultũ diuino & hominum nobis commendatorum salute neglecta, bonis pauperum & patrimonio CHRISTI flagiciose & indigne abutimur, & in uicarios munera no

stra

stra reijcimus: atq; utinam in ijs tamen delectum aliquem probitatis atq; doctrinæ haberemus: utinamq; ij non alios porro pro se uicarios subijcerent. Et qđ peius est, eò uentum est, ut nos sacerdotes esse, haberi dicíq; pudeat. In omne scelerum & flagiciorũ genus pudore omni metuq; profligato, proiecti sumus: & peccata nostra, quemadmodum Sodoma, prædicamus. Quid mirum si contemnimur, uexamur, exagitamur, diripimur, & exibilamur passim? atq; nostris quidem odio, hæreticis uero ludibrio sumus? Recessimus de uia, & plurimos offendimus in lege: Irritum fecistis pactum Leui. dicit Dominus exercituum, per Malachiã: Propter quod & ego dedi uos contemptibiles & humiles omnibus populis. Mittam in uos ægestatem: & maledicam benedictionibus uestris. Et per Ozeam: Gloriam, inquit, uestram in ignominiam commutabo. Magis certe mirandum, si religionem Christianam nõ proculcari uulgò & explodi: cum tantum absint sacerdotes, primores etiam ut possint rudes erudire, aut errantes in uiam reducere, ut uix nouerint nonnulli, quare dicantur Christiani, quamq; uim habeat, & in quo posita sit Christiana religio. Quocirca mirandum non est, tam infirmo ac debili capite, ægrotare & labare mẽbra cætera. Quod nisi in hac religione nati & educati essemus, & per multos annos consuesceremus, quotus quisq; nostrum esset Christianus? quorũ aũt quenq; à christianismo uel minæ abducerent, uel præmia auo

Malach. 2

Osee. 4

 carent

carent, si in regno impiarum gentium & à religione Christiana alienarum, quod omen Deus auertat, essemus? Consuetudine enim sumus Christiani magis, q̃ certa firmaq; ratione: & cum ore profiteamur nos Deum nosse, factis, nolo enim dicere, mente negamus. Quamobrem? non docemur: non admonemur. Sacerdotes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV CHRISTI: Pastores semetipsos pascunt, nō gregem Dei: lac comedunt: lanis operiūtur: quod crassum est, occidunt: quod ægrotum, non sanant: quod infirmum, non confirmant: quod confractum, nō colligant: quod abiectum, non reducunt: quod perit, non quærunt: sed cum austeritate & cū potentia eis imperant. Itaq; dispersæ sunt oues, eò q̧ non sit pastor: & factæ sunt prædæ omnibus bestijs agrestibus dæmonibus inquam & hæreticis: quemadmodū Deus per Ezechielem quæritur. Quid porro miramur non pascere eos, qui neq; oues, neq; pabula norunt, ac neq; quod sit pastoris officium? Quid miramur non docere eos, qui nunq̃ ipsi didicerint? Gubernaculo nauis is demum manum admouet, qui prius remum egerit, deinde proreta fuerit, undiq; & tempestatibus iactatus sit, maris deniq; & locorū peritiam habeat. Neq; ductat exercitum, nisi qui prius miles, decanus, centurio, tribunus fuerit. Deniq; textrinam & lanificium nulla muliercula exercet, nisi didicerit. Ad sacerdotium uero, hoc est, ad amplissimum & dificillimum regimen populorum prius uel assumimur, uel a-

spiramus, quam, sed malo tacere, quàm grauius aliquid dicere. At Apostolus paratos nos uult esse, ad reddendam omni poscenti rationem nostræ fidei. Verum enimuero pudet dicere, dicendum est tamen: Longe à prophanis hominibus hoc sæculo sacerdotes sacrarum literarum studio & cognitione superantur ita ut ualde metuam, ne ad eos proprie pertineat, qđ per Esaiam Deus locutus est: Ecce serui mei comedēt & uos esurietis: ecce serui mei bibent, & uos sitietis Ecce serui mei lætabuntur, & uos cōfundemini: & quæ deinceps sequuntur apud eundem prophetam. An enim nos Patres, minus dereliquimus Dominum, & montem sanctum eius obliti sumus, fortuneq; mensam posuimus, & libamus super eam, quàm illi, quibus illa olim Deus comminatus est? An non libamus fortunæ, cum fructus & emolumenta sacerdotij, nō sacerdotium ipsum cōsectamur? Et uiuat, sentiat, credatq; ut uult quisq;, dum commoda nostra nobis salua sint: si non uerbis, re ipsa certe palam loquimur. Itaq; etiam sacerdotiorum nomine antiquato, beneficia uulgò appellamus, quasi quæ non ut aliquo munere fungamur, sed ut bene sit nobis, dentur. Vnde impiæ illæ & horrendæ uoces natæ sunt, cum patronorum, in beneficij loco sacerdotia cliētibus data exprobantium, tum clientium, mercedis nomine ea uel iactantium, uel efflagitantium. Quo fit, ut omni alia cura exclusa, nocte dieq; census, decimas, fructus, & prædia istorum ipsorum beneficiorum, ut uocamus,

priuatim atq; publice, uel in abaco, uel in digitis com
putemus: Diuinas uero ſcripturas procul à cubiculis
menſis, contubernijs, collegijs, conuentibus, & omni
uitæ noſtræ conſuetudine relegauimus. Nec ſacra
prophetarum, Apoſtolorum, & CHRISTI ip
ſius Seruatoris noſtri uerba unquam ferè in ſermoni
bus noſtris uſurpamus, præter, quod nõ ſine magno
animi dolore dico, ioci gratia, cum maxime uideri uo
lumus arguluti atq; ridiculi. Quod quid eſt aliud,
per deum, ſi non in contemptum adducere & urbane
quaſi aliud agẽdo religionem Chriſtianam oblitera=
re? At enim ſunt etiam, qui docent? Vellem equidem
cum diuo Paulo, ut omnes docerẽt, ſiue prophetarẽt:
Nam hoc ille uerbo utitur. Sed & pauci ſunt ij, &
quod illi docẽdo exædificant, hoc cæteri, qui ſe ad per
dendas fruges natos eſſe opinantur, aut illi ipſi etiam
doctores, impura uita ſua demoliũtur. Plus mali cer
te, quàm boni diſcit nunc, profana & imperita mul=
titudo á ſacerdotibus: dum ad eorum uitam mores ſu
os accõmodat, dum eos non ſanctiſſime loquentes pa=
riter & agentes, & uel à fide CHRISTI pror=
ſus alienos, uel portentoſa ſuperſtitione, à ſyderũ dæ
monumq; cultoribus accepta, puritatem eius contami
nantes, ſtudioſe imitatur, & ſacerdotum exemplis ſi=
bi blanditur. Hoc ne, inquit, Epiſcopus uel ſacerdos
ageret, niſi ſciret malum non eſſe? Hocne ageret, niſi
certo noſſet, inanes fabulas eſſe inferorum ſupplicia,
ac cœleſtia præmia? aut uero nihil referre ad hæc adi

piſcenda, & illa euitanda, quomodo quiſq; uiuat?
Nec mihi quiſquam dicat, non quid faciant, ſed quid
doceant ſacerdotes, attendendum eſſe, ita quidem ma=
giſter noſter CHRISTVS præcipit. Sed errat math. 23
quiſquis neſcit, in ijs, quæ ad uitam & mores inſtitu
endos pertinent, maiorẽ longe ad perſuadendum uim
habere uitam docentis, quàm orationem. Non enim
ut medicus non minus ſanat ægrotos, ægrotus ipſe, q̃
ſanus: ita & morum uitæq; formator, hoc eſt, ani=
morum medicus. Sed ualere hunc oportet, & admi
rationi eſſe ob excellentes uirtutes, ſi utiliter alijs me=
dicinam uelit facere. Nam qua fiducia ad dilectio=
nem proximi, & ad ſubueniendum ægẽtibus alios p=
uocabit, qui ipſe aditu ſuo miſeros & opem implorã
tes excludit? ĩ propatulo aũt obuios, ne alloquio qui=
dem, aut aſpectu dũtaxat humaniore dignatur? quiq;
in conuiuia, largitiones, & alios profanos & minus
honeſtos uſus, non centum, ſed ſexcentos atq; etiã mil
le aureos nummos expendit facilius, quàm unum ad
miſeri alicuius neceſſitatem ſubleuandam, aut puellæ
propter ægeſtatem proſtaturæ, turpitudinem prohi=
bendam? Qua autem fronte docebit, non eſſe furan
dum, qui ipſe furatur, & per fas nefaſq; diuitias ſibi
parat? Quo ore ambitioſus, cupidos: uinolentos, e=
brioſus: adulter, ſcortatores: ſumptuoſos, luxu per=
ditus: percuſſores, homicida obiurgabit? Audiet pro
fecto: frater, eijce trabem prius ex oculo tuo, dein=
de feſtucam ex alieno eximes. Non tam enim, quid

quisq; dicat, quàm quomodo uiuat, uulgò animaduer-
titur, præsertim in ijs, quorum cum in aperto & in æ-
dito uita omnis exposita sit, illustriora longe sunt &
peccata, & recte facta, quàm cæterorum, & pro le-
ge in exemplum multorum trahuntur. Itaq; dupli=
citer ij peccant, sibiq; pariter atq; omni populo perni
ciem, sicut coecias nubes, attrahunt. Enimnerò cur
nã tot ac tãta simul mala in gregẽ & caulas CHRI
STI modo ingrüunt, quæ non eminus prospicimus,
uerum cominus attrectamus? nempe sementis aquarũ
inundatione correpta: cuius residuum comedit eru=
go: residuum eruginis uastauit bruchus & locusta:
hæc & antecessit, & sequitur pestis horrenda: nec
longe abesse uidetur hostilis gladius: ut taceam inte=
stina odia ac dissidia, mutuasq; cædes, neq; sacerdoti=
bus parcentes, ac templa arasq; Dei uiuentis fraterno
sanguine respargentes: Curnam, inquam, hæc mala,
priscis illis Ægyptiorum plagis non absimilia, agmi=
natim nunc in nos irruunt? Cur? nisi improborũ &
officium suum non facientium sacerdotum caussa.
Mich: 3 Ego ne id temere dico? an Deus ipse per os Micheæ
prophetæ hæc affirmat? Vestri caussa, ad sacerdotes
inquiens, Syon (horresco dicere) quasi ager arabi=
tur, & Hierüsalem quasi aceruus lapidum erit, &
mons templi in excelsa syluarũ: hoc est, uastitas om=
nia occupabit. Atq; utinam ne hæc omnia extremũ
omnium comitetur malum, mentium, inquam, excæ=
catio & obduratio: Cuius rei nonnulla iam existere
uidentur

uidentur indicia. An enim parum signi est, furere
& mente captum esse ægrotum, ubi is non pharmaca
modo salutaria, sed & medicum ipsum quasi pestem
quandam abhorret? Quis autem insanus unq̃ sic ab-
hominatus est medicum, ut nunc nostri homines, sa=
cerdotes abominantur? & cum uicia sola sacerdotũ
detestari deberent, ordinem ipsum sanctissimum exe=
crantur, & perijsse cupiunt, tanquam nõ salutis, sed
interitus sui authorem & administrum. Cui per=
uersissimæ hominum opinioni, nosipsi, Patres, nosipsi
inquam, nostris sceleribus & flagicijs caussam præ=
bemus. Non facile enim hæc uulgus disiungit, ut ui-
cium quidem hominis exosum habeat, ipsum autem
hominem diligat: & uitam quidem sacerdotum dete-
stetur, ipsum autem sacerdotij nomen functionemq;
ueneretur. Quamobrem si dignitatem uestram tue=
ri, si authoritatem retinere, si honore & admiratio=
ne affici, si deniq; saluos uos, & eos, qui fidei uestræ
cõmendati sunt, esse uultis, Patres amplissimi & sa=
cerdotes Dei, eãdem quam prisci illi sacerdotes uiam
insistite, & officium uestrum facite. Publici estis de
precatores, & aduocati peccatorũ apud Deum: Deo
& hominum saluti, nõ uentri uestro, & ijs quæ in=
fra uentrem sunt, seruite: leuate puras manus ad De
um sine libidine, sine ira, sine odio, sine fastu, sine a=
uaricia. Sal terræ estis? estote condimentum aliorũ
& sapientia uestra aliorum stulticiam subleuate: ca
uete ne insulsi facti, ab hominibus conculcemini, ut

 nunc

nunc fieri incipit. Lux mundi estis? sic luceat lux uestra coram hominibus: ut uidētes opera uestra bona, glorificent Deum. Ne quæso ponatis tenebras lucem, & lucem tenebras, ut Esaiæ uerbis utar.
Principes estis, & uernacula lingua nostra appellamini? Quantum honore præstatis reliquis, tantū uirtute, pietate atq; sapientia præstare cōtendite: & ne cœci cœcorum duces sitis, uidete. Apostoli estis & Angeli, hoc est, legati Dei? Ita uos gerite, ut non uituperetur ministerium uestrum: & uæ uobis, si aūt nihil, aut somnia uestra quæstuosa, non uoluntatē Dei populo nunciaueritis. Amici Dei estis? redamate amantem, & ut cūm eo unum sitis, omnino studete. Nihil tam charū habeatis, quod nō præ Deo despiciatis: qui prior dilexit nos, & sacro unigeniti filij sui sanguine redemptos sibi adiunxit. Diligite inter uos Hoc enim uel præcipuū est discrimē iuter amicos Dei & seruos diaboli. Christi estis? uidete ne quid indignum admittatis hoc tanto nomine, néue Spiritū sanctum, quo uncti estis, impura uita uestra propellatis Non enim ille habitat in corpore peccatis subdito.
Dispensatores estis mysteriorum Dei? Ita dispensate, uti exactam rationem reddituri Deo scrutatori mentium, & non modo dißipati, sed etiam defoßi talenti nomine pœnas daturi. Habetis claues regni cœlestis? cauete ne eis abutamini, & ne uæ sit uobis si & ipsi non ingrediamini, & alios non intromittatis. Claritatem, quam à patre accepit, dedit nobis CHRI-
stus

STVS? uidete ne eam tenebris uiciorūm & ignorantiæ obscuretis. Pastores estis? cognoscite oues uestras: uocate nominatim: exemplo præcedite: pascite salutaribus sacræ scripturæ pabulis: à noxijs uero arcete: á luporum & ursorum ui & insidijs defendite: medemini languidis: scabiosas & lue infectas, caulis eijcite: errantes quærite: inuentas humeris uestris ad ouile reportate: parati uitam, nedum bona ista externa & fortunæ pro ouibus uestris profundere, ut cum uenerit princeps pastorum, percipiatis immarceßibilem gloriæ coronam. Dij estis? neminē ledite: benefacite omnibus, quibus potestis: hoc enim Dei propriū est: Sancti, puri, perfectiq; estote: & quàntūm homini antecellit Deus, tantum uos cæteros homines sanctimonia uitæ atq; perfectione anteire satagite. Aliæ enim sunt priuatorum, aliæ sacerdotum uirtutes. Nam priuato homini propemodū sat est, malum non esse, aūt aliquatenus certe bonum esse.
In sacerdote uero, & eo, qui publicam personam gerit, peccatūm est, si non multo anteeat uirtute multitudinem, quem trahere cæteros à uicijs ad mediocritatem excellenti uirtute oportet. Deniq; Episcopus es, hoc est, speculator domus Dei, & princeps sacerdotū? quæ sacerdotum sunt præ alijs curato: Habes præterea sacris iniciandi, & ius dicendi potestatem: uigila: præuide procul imminentia mala, & præmone eos, qui intus sunt: ne si quo inopinato casu pereant, sanguis eorum de manu tua requiratur. Doce i-
gnaros

gnaros: exhortare ignauos: errantes argue: hære-
ses euelle. Memento in consecratione tua, non codi-
cillos rationum accepti & expensi, non syderum in-
ter se descriptas habitudines & aspectus, non consti-
tutiones regias aut imperatorias, uerum diuinæ legis
uolumen capiti tuo esse impositum, ut in eo mediteris
die ac nocte, neq; recedat id unq̃ ab ore & à corde
tuo. Metue horrendas illas Dei apud Ozeam minas:
Quia tu repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdo-
tio fungaris mihi. Quæ mũeris tui sunt, pleraq; per
te ipse agito: Quoniam uero non potes omnia, atten
de à quibus uices tuas obiri uelis: ut ij, siue iudicijs e
xercendis præerunt, iuste, patienter, & sine compe-
rendinatiõibus iudicent: nõ ira, non cupiditate, nõ o
dio, nõ gratia cuiusq̃, non spe, nõ moetu à recto dimo
ueantur: quæq; in alijs coërcent, eorum ne suspitiõni
quidem falsam in se hærere patiantur: siue doctores
& pastores futuri sunt, potentes sint uerbo atq; ope
re: populumq; non fabulis atq; somnijs suis onerent,
nõ superuacaneis quæstionibus dißidia parientibus di
stineant, sed recta & necessaria recte oportuneq; do
ceant, & solida fidei religionisq; Christianæ funda-
mẽta in animis imperitæ multitudinis iaciant, in hisq;
digna Deo ædificia exædificent. Hæresibus etiã atq;
etiam obsistant, paruulosq; Babylonis ad petram alli
dant. Sacramentis ne abutantur, & alijs rectum eo
rum usum ut ostendant. Itaq; manus nemini cito im-
posueris, neq; aut neceßitudine, aut præcio, aut obse-
quio

quio aũt gratia cuiusq̃ addũctus, sacerdotio quempiã
iniciato, aut instituto. Sed explora diligenter, quos
in societatem tanti oneris assumas. Tibi, non ijs qui
patroni uocantur, pro omnibus dependendũ est: Tu
caput es, cæteri sacerdotes membra tua sunt, & qui-
dem de ijs membris, quibus aliquem te honorem im-
pertiri æquum est: fratres tui sunt, non serui: adiu-
tores, non uilia mancipia. Tu pastor es, illi canes tui
sunt, custodientes ac defendentes gregem. Vide ergo
ut sagaces, impigros, robustos, feroces, ualentes latra
re, & qui amicũ ab inimico discernere norint, eligas:
& quidem à teneris unguiculis recte atq; ordine edu
catos & institutos. Eam porro institutionem pue-
rorum & adolescentium, ut recta sit, & pietatem ti-
moremq; Dei cum literis cõiunctum habeat, ad te in-
primis pertinere existimato. Caue ergo summo stu-
dio, id quod adhuc negligi uideo, ne pueri atq; iuue-
nes ad hæreticos instituendi mittãtur: unde boni qui-
dem nescio an quicq̃ referant, mali certe plurimũ re-
ferunt: neue pædagogi munus obire quispiam neq;
in publico ludo, neq; in priuata domo permittatur, ni
si examinatus & probatus ab ijs, quos ad eam rẽ de-
legeris. Lectione item librorum ab hæreticis conscri
ptorum, omnes prorsus, paucißimis exceptis, qui præ
stanti doctrina, & stabili sunt iudicio, summa cõten-
tione prohibeto. Nam sermo eorum serpit ut cancer,
& suauitate quadam populari conditus, facile incau
tos occupat & inficit. Cogita non tua unius caussa
tibi

tibi tantas copias atq; facultates datas, seu uerius con
creditas esse. In uicia sacerdotum itemq; profanorũ
hominum diligenter inquirito, ac in præfractos qui=
dem acrius, in alios uero lenius animaduertito: hos ba
culo, quem geris, illos gladio, ferito. In ebriosos, in
helluones, in scortatores, in adulteros, in concubina=
rios, in iniustos, & oppressores tenuiorum, in homici
das, in quadruplatores & feneratores, & in omnes
deniq; flagitiosos & sceleratos, qui palam peccant,
& admoniti non resipiscunt, neq; ecclesiam audiunt
terribilia illa fulmina in tartarum præcipitantia in=
primis uibrato, & perinde ac putrida membra à re=
liquo corpore eos resecato, ne pars syncera trahatur,
ut inquit poëta quidam: Videto ne quis re sua abuta
tur, quod quidem etiam impij homines & idolatræ
Reipub. plurimum interesse iudicarunt: abutitur aũt
nõ minus qui sordide recondit, quàm qui prodige dis
sipat. Sis deniq; per omnia, qualẽ diuus Paulus uult
esse Episcopum. Abbas es? pater igitur, non domi=
nus: curator, non dilapidator bonorum communium
curam habe eorum, quos in filiorum loco habere de=
bes. Vide ut ij omni alia cura uacui, soli precationi
& meditationi rerum diuinarum insistant. Archidi
aconus, hoc est, oculus es Episcopi? uide ne lippias,
neue ubi opus non est, conniueas: uisita per te ipse,
cum tua proprie ad munus istud delecta sit industria
Scrutare, non quid auferas, sed quid emendes: cerne
acutũ, & uisa refer Episcopo. Canonicus es? Con=

silarius

siliarius es Episcopi. Attende ergo, ut ei consilio tuo
in regenda ecclesia, ei seruis, præsto sis, cessantẽ ex=
cites, utq; id sis, quod diceris, hoc est, ut tota uita tua
recta & ad regulam CHRISTI apta sit. Pa=
roecus es? hoc est, pastor in parte gregis, & uicarius
Episcopi? pasce, & pasce per te ipse, non per uicari=
os. Memento te non tui compendij, sed ouium caussa
ad functionem istam uocatum esse, de qua exactam
Deo rationem redditurus es: uide ne tibi dicatur, ô pa
stor, & idolum, & derelinquens gregem: Vis autẽ
paruo negocio multum operæprecij facere in uinea
Domini, cuius etiam uinitor es? Scholarum & puero
rum recte instituendorum præcipuam curam habe.
Deniq;, quæ Episcopo dicta sunt, eadem pleraq; tibi
dicta esse existimato. Decanus es? Præpositus? Scho
lasticus? Cantor? Custos? Prior? siue quid aliud? of=
ficium tuum noscito, & facito. Priuatus præsbyter
es? da operam ut purus & ablutus à sordibus con=
scientiæ, ad tremenda illa sacra peragenda accedas:
non ex consuetudine, aut quæstus gratia, ne CHRI
STVM uendere uideare: sed ut Deum tibi atq; mul
titudini placaturus. Ad extremum, quocunq; dice=
ris nomine, sacerdotem te esse memento. Cura igitur
ut non magis nomine, quàm re sacerdos sis: utq; non
ex uestitu & raso uertice, uerum ex doctrina, mori=
bus, ac totius uitæ consuetudine, omnes te sacerdotem
esse agnoscant. Refelle, re, non uerbis, odiosum illud
uulgi dicterium, ne dicaris porcus altilis. Memen=

to te

tote CHRISTI personam gerere. Ille iusticia est, modestia, temperantia, sobrietas, ueritas, sapientia, constantia, pax, charitas, benignitas, & summa bonitas. Hæc eadem tu pro uiribus tuis esse cura. Mitis est & humilis, disce ab eo humiliari sub potenti manu Dei. Monachus es? sede solitarius & tace, secundum dictum Hieremiæ. Mortuus es mundo? ne te implices mundanis negocijs: deplora, & sine simulatione quidem, peccata tua atq; populi: terrenarumq; rerum cura abiecta, in cœlestium contemplatione totus esto. In uniuersum autem omnes, qui spiritualium nomine appellamini, hoc unum curate (ne multis uos onerem) ut uere sitis quod dicemini. Reijcite curam carnis, spiritualibus rebus solis uacate. Vacate inquam & gustate, quàm suauis est Dominus, omnibus qui diligunt eum, & in spiritu & ueritate adorant. Cognoscetis aũt, cum aliunde, tum ex diuo Paulo ad Galatas scribente, quæ sint opera carnis, & qui fructus spiritus, quiq; finis utrorumq;: ut illa quidem uitetis, hos uero consectemini. Satis indultum est carni: satis datum mundo: satis diabolo. Redite ad cor. Deum modo, Deiq; imaginem, hominem inquã, uere & ex animo diligere incipite, iam omnia feceritis, & legem CHRISTI impleueritis.

Sed ad uos iam uenio Patres amplißimi, qui huc ad consultandum in commune, ijs de rebus, quæ ad fidem pietatemq; Christianam, & sacerdotij dignitatem tuendam pertinent, conuenistis. Curate, elaborate,

perficite

perficite, à uobisipsis exorsi, ut ne quid in ullo sacerdote, quod ad officium eius pertineat, requiratur. Videte etiam atq; etiam, ne ridiculæ sint uestræ istæ synodi, in quibus uerborum satis, factorum præter contributiones, nihil esse uulgò iactatur. Prouidete inprimis, ne quæ simultates, contentiones, & factiones in collegijs, siue ut uos uocatis capitulis uestris, & in omni cœtu sacerdotum existant: & ad fraternum amorem potius, quàm ad fratris nomen aliquid adijcite. Cæteros porro præ uobis ne contemnatis. Cauete ne polluti sint cœtus uestri, & ne malum uestrũ in domo Dei reperiatur, ut per Hieremiam Deus loquitur. Præcidite luxum, nequitiam, & auariciam sacerdotum. Concubinarios, ebriosos, negociatores, & ociosos sacerdotes seuerè coërcete. Ambitionẽ, maximam sacerdotij pestem, radicitus euellite.

Quàm uellem autẽ ego omnesq; boni, ut eligendi & cooptandi in sacerdotiũ potestas libera ecclesijs atq; collegijs restitueretur. Neq; sane recuperabit quod multi graues uiri sentiunt, pristinam dignitatem sacerdotium, neq; religio Christiana reflorescet, donec ad unius alicuius hominis arbitrium honores ecclesiastici cõferuntur. O quam laudem atq; gloriam, & uere præmium apud Deum mereretur, qui; quas aliorum ambitio & cupiditas infregit, electiones & cooptationes, studio, consilio, & authoritate sua restitueret. Sed hoc, dum præsens rerum status manet, optare magis licet, quàm sperare. At uos Patres

preui.

prouidete serio, uos per IESVM CHRISTVM crucifixum, & uestram salutem oro, obsecro, & obtestor, prouidete inquã, ut uerbum Dei purè & castè ubiq; in diocesibus uestris omni populo, neq; schismaticis, neq; iudæis (de quibus non paucos ad fidẽ ultrò accedere modo uidemus) exceptis & exclusis, enuncietur. Inite rationem, quonam modo promiscua multitudo in urbibus, oppidis, atq; pagis ad frequentandas, festis diebus duntaxat, sacras conciones uel blandè alliciatur, uel imperiosè compellatur. Curate ut conficiantur ædanturq; doctorum theologorum iudicio, formulæ & præscripta cõcionandi, propter indoctiores sacerdotes: ut sciant, quid & quomodo doceant: Ac ne qui indocti sint, in posterum cauete. Audierint, legerint, didicerint, nouerint uel præcipua religionis nostræ capita, priusquàm ad sacerdotij ordinem, honorem, commodaue admittantur. Nec deinde aut turpiter ociosi desideant, aut indecorè negociosi satagant. Sed scrutentur scripturas assiduò: quas perinde ac ungues proprios cognitas habere debent. Nam si turpe esse iudicat scriptor quidam clarissimus homine libero ignorare ius ciuitatis suæ: Quid nos dicemus de illis, qui quasi regula omnium esse debent, cuiusmodi sunt sacerdotes, si nihilo melius ij, quàm quiuis de media plæbe nouerint ciuitatis suæ, quæ eadem Dei est & sanctorum Angelorum, leges? & quidem eas leges, è quibus salus & omnium & singulorum pendet. Cuperem autem maiorem

rem

rem, quàm nunc habetur, scholarum cũ priuatarum, tum publicarum rationem duci: ut ita instituerentur adolescentuli, & cum uerborum, tum rerum cognitione instruerentur, ne illotis, quod aiunt, pedibus, ad sacrarum literarum cognitionem adirent. In hoc enim cardo rei uertitur: hoc plurimum momenti habet ad statum religionis uel euertendum uel stabiliendum. Quod uidit profecto Iulianus imperator apostata, quemadmodum testificatur Gregorius Nazianzenus, cum euertendi Christianismi caussa, scholis publicis, & liberali hac institutione Christianis interdixit. Sed uberius fortassis aliquãdo ea de re commentabimur. Nunc ad finem nostra festinat oratio, quando & me uox pariter atq; latera iã, ut uidetis, deficiunt, & uos credo audiendo me, defatigati estis. Hoc tantum addo: Quandoquidem diuinitus est ista uestra dignitas, Patres, diuino munere uindicetur necesse est. Ad Deum igitur confugite: Deo supplices procumbite: reddite altissimo uota uestra: inuocate eum in die tribulationis, sed ex animo Eruet uos, quemadmodũ per os Dauidis pollicitus ẽ. Ita fiet maxime, ut rapaces ac temerarias profanorum hominum (qui maxime propinqui uestri sunt, quos uestro malo de patrimonio CHRISTI saginatis) manus à facultatibus, bonis, ac ceruicibus uestris depellatis, facilius atq; certius multo, quàm aut legum pontificiarum simul & patriarum uindicta, & seueritate, aut largiendo & indulgendo ip

sis quæ

ſis quæ poſcunt: & non modo immunitatem, ſed au thoritatem ueſtram, dignitatemq; ſacerdotij per omnia rectè tueamini: Quod CHRISTVS ipſe ſummus ſacerdos, & author ſacerdotij ueſtri præſtare uobis dignetur, qui cum Spiritu ſancto in gloria eſt DEI Patris In ſæcula ſæculorum.

AMEN.